LAI

A.

I.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Proterria quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum

Decadis II.

EXERCITATIO IX.

De

VITA ET VITALITATE

Physiologica & Historica

Disceptationis loco in Gymnasio Gedanensi proposita

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAJ

Phil: Professore Publico

Respondentis partes tenente

JOHANNE CHODOWIECKIO Polono.

Ad diem 25. Junij S. N.

In Auditorio Philosophico

Horis ab 7. matutinis.

GEDANI. Typographo GEORGIO RHETIO excripta ANNO 1637.

GENEROSO atq; NOBILISSIMO
VIRO
Dn. GERHARDO PROÖENEN, S. Reg. M
Pol. & Suec. Cubiculario, Capitaneo Sobowicensi.
NEC NON
Amplissimis, Florentissimisq; Viris
Dn. DANIELI CRUSIO, Inclytæ Reipub
Dantiscanæ Centumviro dignissimo.
Dn. ANDREÆ CONRADO, florentiss: Vrbi
Gedanensis Civi primario.
UT ET
NOBILISSIMO JUVENI
Dn. ISRAELI JASKIO, Juniori, Patritio Ge-
danensi florentissimo.

Munificentissimis Musarum Patronis, Dominis Fautoribus ac Mecœnatibus suis jugi cultus honore colendis ac prosequendis

In æternum officiosi pectoris indicium studiorumq; suorum commendationem dedicat

Johannes Chodowiecky Polon.
Respondens.

Miscellaneorum
Decadis II. Exercitatio IX.

De vitâ & vitalitate.

PRæclarè Romanæ primus scriptor historiæ *omnes homines, qui se student præstare cæteris animantibus, summâ ope niti debere inquit, ne vitam silentio transigant, veluti pecora, quæ natura prona ac ventri finxit obœdientia. Ac non solùm vita per silentium traducenda non est: sed nec in eo cum brutorum conditione societatem inire licet, ut cum vivere nos sciamus,* quid tamen vivere sit, *ignoremus. Et vixisse nos posteri nosse debent: & vivere nosmet ipsi scire. Ne, quod in Servio Sulpitio â Q. Mutio Scævolâ graviter notatum esse enarrat* Pomponius *ICtus* in l. 2. §. Servius. 43. d. O. I. *quòd patritius jus Romanum, in quo quotidiè versabatur, ignoraverit, in nobis longè justiùs reprehendatur, cum vivere nos jure naturæ animantibus debito & esse videamus, quid tamen vita sit, turpissimo stupore incognitum prætervehamur. Excutere ergò æquum est vitæ rationem, & quid ea sit, quibusq; modis se habeat, accuratiùs investigare.*

2. *Vita & in* Theologicis *consideratur, quatenus primis viventibus â Deo est indita, & in homine ad spiritualē finem deducenda est, unoq; verbo beata esse debet: & in* moralib⁹, *ut æqua, justa, morata & virtuosa esse potest: & in* Medicis, *ut sana vel sananda est: & in* Metaphysicis, *ut actus aliquis substantialis est: & in* Physiologicis, *ut actus operandi vitaliter est, cuidam corpori naturali à naturâ datus, & per eandem de-*

 bitus

bitus, quo pacto nostræ disquisitioni magnam partem occupanda veniet.

3. Vox vitæ *variè sumi potest. In sacris notat quandoq; incolumitatem & salutem vitalem.* Psal. 30.v.4.6. Psal. 42. v.9. Prov. 4.v.4. *quandoquè vitam futuram & æternam.* Matth.7.v.14. Joh. 3.v.36. 2.Tim.1.v.1. *quandoq; statum communem & munia hujus vitæ.* Psal.17.v.14. Job. 21.v. 7. *interdũ specialiter* vitam animalis terrestris. *Sic omne animal diluvio exscindi dicitur, in quo est spiritus vitæ.* Gen: 6.v.17. *i.e. vita in sicco terrestri vel aërio, ut explicatur* c. 7. v.22. *Pisces enim non interierunt in diluvio: quandoq; vitam planè mysticam & propheticam: Sic in duos testes sp. vitæ decidisse dicitur.* Apoc.11. v.11. *interdum vitæ permanentiam & continuationem.* Gen.17.v.18. *Sic & Petron. Saty.*p. 34. quod hodiè non est, cras erit, sic vita truditur, *i. e. vitæ continuatio. Interdum vitam vegetam & ad operationes expeditam. Sic* Joh. 4. v.50. *Filius tuus vivit. i.e. sanus & vegetus est. Interdum in communi usu notat* commentarios *& historias de vitâ alicujus conscriptas. Sic Plutarchi vitas, Laërtij vitas Philosophorum dicimus. Interdum vitam jucundam. Sic in isto: Sex horæ tantùm rebus tribuantur agendis:* Vivere *post illas litera* ζῆθι *docet. Ubi vivere est jucundari. Apud* Comicos *notat* victum, *& quo vitam prorogamus & tuemur.* Plaut: trin. a.2.sc. 4. *Neq; illi concedam quidquam de vitâ meâ.* Apulej. 9. metam. p.219. *parvis mercedibus vitam tenebat, i.e. victum. Sic* βίος *Græcis tùm vitam, tum id quo vitam tuemur & servamus, significat, ut victum, bona, facultates.* V. Scapulam in voce βίος. *Interdum* vitam operosam *& virtuosam notat: Sic Seneca octogenariũ inertem non diu vixisse sed fuisse & moraturn esse ait. Actu metiendam esse vitam, non tempore,* l.1. ep.93. *Interdum esse quodcunq;*

cunq; & operationem existentis. Plaut. Aulul. a. 1 sc. 2. *Si ignis vivet, tu extinguêre extempulò. Sic vivæ lucernæ, i. e. ardentes.* Hor. l. 3. od. 21. Lucret. l. 1. *vivant labentes ætheris ignes.* Apulej. 3. meta. p. 137. *capillos dat vivis carbonibus abolendos. Sic Thales animam in magnete esse dixit, quòd ferrum moveat trahatq;* : Arist: 1. d. an. c. 2. t. 32. *Sic Theologis fides viva dicitur, i. e. efficax, operosa: cui opponitur mortua,* Jac. 2. v. 17. *quæ sine operibus torpet. Quandoq; Latinis mores & instituta notat.* Terent. adelp. a. 3. sc. 4. *inspicere tanquam in speculum vitas hominum jubeo. Interdum rationem vivendi & statum.* Cicer. d. amic. §. 86. *Serpit per omnium vitas amicitia. Interdum blandientis vox est, amabile notans. Sic* Cicero l. 14. ep. 2. *Obsecro te mea vita.* Juvenal. sat. 6. v. 195. Quoties lascivum intervenit illud ζωὴ καὶ ψυχὴ, *i. e. mea vita & anima. Conf.* Martial. l. 10. epigr: 68. *Interdum* generalissimè *sumitur pro omni principio vitaliter se movendi ab intrinseco, quo ab interno se actuare & perficere aliquid potest. Ita Deo, angelis, animabus separatis vitam tribuere solemus: Interdum* specialiter *pro vitâ Physicâ & naturali, qualem in plantis, brutis & hominibus agnoscimus. Vt* Job. 3. v. 20. 1. Cor: 15. v. 45. *& passim. Ita magnam partem hic capietur. Vnde* evitare *veteribus Latinis idem interdum, ac vitâ privare.* Cicero 3. Tusc. §. 45. *Omnia vidi inflammari, Priamo vitam evitari. Papias, evitatus, i. e. vitâ privadus. Dicitur etiam* vitalitas. Plin. l. 11. c. 37. *Cæteris corruptis vitalitas in corde durat.* c. 45. *Hominis genibus fortassis inest vitalitas. Græcis* βίος *à* βίω, ζωή: *Hebræis* חַיָּה, חַיִּים, חַיּוּת *à* חָיָה *&* חַי *vixit. Germanis* leben / odem / geist. Comicis *interdum caput. Sic de capite meo sunt Comitia, i. e. vitâ.* Plaut. aulul. a. 4. sc. 7. Pseud. a. 4. sc. 7. *Poëtis vitalis aura, & vitæ, pluraliter. Sic apud Terentiū c. l. Apud Ciceronem*

1. d. N.D. §.52. *& Gellium similia invenias. Sed* in naturalibus *adhuc* tripliciter *sumitur vox vitæ.* Interdum *pro ipsâ animâ vitam dante. Sic vita bruti est in sanguine.* Lev. 17. v. 11. *i.e. anima.* Deut: 12. v. 23. *Et vivere viventibus est esse, inquit* Aristot: 2. d. anim. c. 4. t. 37. *& anima & vita idem sunt eidem* 1. Elench. c. 4. *sic* Virgili⁹ 6. Aenei: *tenues sine corpore vitas dixit. i.e. animas. Hæc vita substantialis & radicalis dici potest.* Interdum *pro effectu formali ex unione animæ cum corpore redundante, i. e. actu primo corporis viventis, per quem formaliter est vivens. Sic homo in animam viventem factus dicitur.* Gen: 2. v. 7. *i.e. compositum vitam habens formaliter.* Interdum *pro operibus vitæ. Sic nutrire, sentire vita aliqua dicuntur. Sic* Aristot. 2.. d. an. c. 1. t. 3. *vitam dicit, quæ per animã fiunt, ut altionem, augmentationem, diminutionem.* Zabarella ad 2. d. anim. t. 3. *hoc significatum vitæ maximè proprium esse ait. Sed magis proprium dicendum secundum.* Effecta enim rei res ipsa impropriè *dicuntur, non propriè. Nutritio, augmentatio, propriè sunt effectus vitales, ab vitâ orti, non ipsa vita.* Secundo modo *maximè hic sumenda veniet.*

4. *Viso* nomine res vitæ *videnda erit per definitionem, causas, divisionem, affectiones, & respectiva attributa, cognationem & oppositionem.*

5. Definitio *sit:* Vita est actus substantialis ex unione animæ & corporis resultans, vivum facientis compositum Physicum formaliter.

6. *Dicitur* ex genere actus substantialis. 1. Actus *est perfectio & consummatio potentiæ sibi essentialiter subordinatæ & perficiendæ, ut alibi disputatur. In quovis composito, & analogicè etiam in formis abstractis, quæ tamen actus impuri & aliquid potentiæ admistum habent, ut solus DEUS sit*

sit actus purissimus, duo se præbent observanda, unum instar materiæ, quæ dicitur potentia, perficiendum, perfectibile: alterum instar formæ, quæ est actus, perfectio, consummatio, Græcis ἐντελέχεια, *Ut ex Metaphysicis uberiùs sumendum. Quâ voce auditâ non ad inscitiam cum quiritatore decurrendum, ut nescire te dicas, quid sit* ἐντελέχεια, *& ignotum per ignotius ab vafro impostore Aristotele esse definitum: sed concipienda est* forma, vel aliquid instar formæ, *simplex, immateriale, potestas, perfectio, informatio,* τὸ τί ἦν εἶναι, *& simile quid, quod benè persequitur* Scaliger ex. 307. s. 12. & 39. *Idem per analogiam hic habendum. Est corpus organicum vitale potestate ad vitam recipiendam naturaliter & proximè instructum; adeoq́ue est materia perfectibilis: accedente formâ competente & determinatâ fit actuosa materia, adeoq́ue oritur actus determinatus specificus, & proprius, in composito ex unione formæ viventis ad corpus organicum proximè resultans, qui est consummatio, perfectio, informatio rei, unde res viva dicitur. Talis actus est & vita pro effectu formalis unionis animæ & corporis accepta, prout magnam partem hîc accipi* t. 3. *dictum est.* 2. Actus substantialis. *Actus aliquis & perfectio duplex est.* Substantialis, *qui substantialem perfectionem dat, & cujus terminus ac finis est substantia. Ut, anima, forma humana, beluina, &c: sunt actus substantiales perfectionem substantialem dantes:* Et accidentalis, *qui perfectionem accidentalem dat, & cujus terminus est accidens. Ut eruditio perficit hominem accidentaliter, accretio majorem quantitatem intendit, &c. Ita omnes operationes convenientes dant perfectionem subjectis accidentalem.* Vita est actus substantialis & subjectivè, *quia in substantiis est illisq́ue competit, nam omne corpus vitâ participans substantia erit, ait* Arist: 2. d. an. c. 1. t. 3. *accidentibus vita per substantias*

tri-

tribuitur, ut potentiæ nutritivæ, augmentativæ, &c: & perfectivè, *quia ejus perfectio substantia est, non accidens:* & finaliter, *quia finis & intentio ejus primò est ad substantiam, non accidens substantiæ. Vt distinguatur ab actu secundo, qui in creatis & accidens, & accidentalem perfectionem infert, non substantialem, ut alibi disputatum.*

7. *Ex* differentiâ *dicitur, actus* ex unione animæ & corporis resultans. *Vita, qualis hîc describitur, animam prærequirit, à quâ ut principio formali emanet, & quam adesse necessum est, si vitam, qualem hîc describimus, adesse velis. Definitur enim hîc* vita Physica & naturalis, *quæ ab animâ & cum animâ est, nusquam sine eâ: non hyperphysica & spiritualis, qualis partim DEI & angelorum, partim animarum humanarum à corpore separatarum est, in quibus vita generaliter dicta est, quæ est principium movendi & perficiendi se ab intrinseco, Vt* ch. 3. *dictum: Sed hîc vita est actus unionem animæ & corporis sequens: Non hic sumitur* vel *pro ipsâ animâ simpliciter, quæ essentialiter & ἁπλῶς considerata vita & actus s. forma aliqua vivens est:* vel *præcisè pro ipsâ unione & permansione animæ & corporis, quomodo in naturalibus interdum sumi potest:* sed *pro entelecheia aliquâ formaliter ab animâ manante, unionem ejus cum corpore sequente, & formali ejus effectu, in composito formaliter producto: Qui effectus non sit* accidens *aliquod animæ, à quo anima differat velut essentia ab accidente, sic enim vita accidentale quid foret: nec* nova substantia *præter animam, sic enim præter animam & corpus tertia foret substantia in composito: sed res ipsa quidem cum animâ, non tamen absolutè spectatâ, sed* cum respectu ad compositum & operationes *vitales, & ut effectus in corpore animato productus ab animâ ut formâ est.* Quidam *ipsam unionem & permansionem animæ*

nimæ cum corpore illum effectum vocant. Conimbr: l. d. vit: c. 1. Scalig. ex. 102. s. 5. Aristot: l. de respir: c. 18. Eustach: S. Pauli p. 3. Phys. tr. 2. d. 2. q. 6. Keckerm. l. 3. Phy. c. 10. Raconis dis. Phys. de corp. an. s. 2. c. 5. Velcurio l. 3. Phy. c. 40. *Quod metaleptice & obiter est intelligendum:* μετωνυμικῶς, *non* ἀκριβῶς, *ut rectè* Weberus trig. disq. p. 2. s. 1. §. 5. *causaliter, non formaliter, ut* Bartholinus *loquitur* l. 8. ench. Phys. c. 8. *Vita est unio animæ & permansio, i. e. aliquid ex permansione animæ cum corpore manans & productum, & in eâ radicatum, ut citra eam esse aut durare non possit: quomodo* dolor *dicitur sensio tristis, i. e. aliquid in sensione tristi: &* mors *separatio animæ à corpore, pro, ablatio vitæ per separationem animæ à corpore.* Rigidè vita unio non est. *1.* Quia *omnis unio est relatio, & respectivum quid. Sed vita absolutum quid. Non potest autem respectivum esse genus absoluti. 2.* Quia *relatio ut relatio, non est effectiva, non principium operationum. Quia relationum non est motus aut efficacia.* 5. Phys. c. 2. t. 10. 18. *Sed vita est principium radicale omnium operationum vitalium in subjecto. Sic per vitam nutriri, esse, augeri, nos dicimus. Sed per unionem animæ cum corpore nemo nos sentire aut nutriri dicit. 3.* Unio *animæ & corporis in instanti fit, est enim generatio substantialis. Sed vita sæpè per longos tractus continuatur. 4.* Quia *relatio est accidens, & accedens ad substantiam facit unum per accidens, non per se. Sed vita accedens suo supposito, cui debetur, unum essentiale & per se facit, non accidentale. Vivere enim viventibus est esse.* V. t. 3. *Et corpus vivum non est prædicatum accidentale corporis animati, sed essentiale: nec corpus animatum est ens aggregatum ex substantiâ & accidente, & ens per accidens; sed unum & compositum per se. 5.* Quia *mansio importat aliquam moram*

ram manentis, & existentiam rei. Sed vita præscindit ab omni morâ & existentiâ: Vt & momento durantib: vita tribuatur, & ab existentiâ singulari abstrahatur. Sic homo dicetur corpus vivum, etsi nullus actu existeret: sic rosa in hyeme corpus vivum plantale definitur, etsi nulla actu existat. Rectiùs ergò actus substantialis in istâ unione fundatus dicitur, & solutâ eâ desinens. Quomodo in genere hoc assignando benè procedunt Magirus l. 6. Phy. c. 4. §. 2. Alstedius l. 7. Encyc. p. 5. c. 1. §. 5. D. Meisn. p. 1. P. S. p. 58. Schröder. de com. pro. t. 330. Scaliger ex. 102. s. 5. & ex. 352. s. 1. Weberus l. c. §. 9. Bartholinus c. l. D. Keslerus disp: de vita. t. 12. Goclen. p. 1. misc. p. 64. 66. Ægidius in parv: nat. de vit. & mort. p. 860. *ubi vitam definit effectum formalem ex mansione animæ cum corpore resultantem. Anima se unit corpori, non corpus se animæ: sicut anima animat corpus, non hoc illam, adeoq; unio partium est, non totius: Sed* vita est actus compositi, *in illo ab animâ causatus, &* totaliter composito Physico *competit, non huic vel illi parti. De* vitâ enim compositi Physici *hîc agitur, ut plantæ, bruti, hominis: non* vel æquivocâ, *qualis vita magnetis, calcis vivæ, & similum rerum est,* V. t. 3. vel abstractarum *formarum, ut angelorum, animarum separatarum, Dei &c.*

8. *Dicitur porrò vita* actus unionis animæ & corporis generaliter, *indifferenter animam sumendo, & à plantali, bestiali, vel humanâ abstrahendo: Vt notetur, vitam in quocunq; subjecto esse, quod qualemcunq; animam habeat. Sive ea sit vegetans & generalis, sive sentiens & specialis, & hæc vel rationalis vel brutalis, perinde est. In* generali esse animæ in corpore consistit vita: *& ubicunque animam aliquam ponis, vitam ponis, tanquam actum unionem ejus ad corpus necessariò consequentem. Hoc posteà in divi-*

sionibus

sionibus vitæ uberiùs patebit, ubi contra eos, qui ab animâ vegetante vitam esse, & sic plantis eam negant, probandum erit, verissimè plantis & vegetativo corporum generi vitam inesse. V.t.19. Taurellus l. 2. d. vit. §. 4. *vitam accidens aliquod animæ proprium esse ait, Vt calor ignis, non ipsa essentia. Et vox proprij interdum* valdè generaliter *sumitur, ut & id, quod ipsa rei essentia est, compræhendat. Quomodo propria Dei infinitatem, immensitatem, æternitatem, vocamus, quæ sunt ipsa essentia Dei. Hoc modo vita animæ proprium esse conceditur. Interdum proprij vox notat accidens prædicamentale necessariò ab essentiâ rei fluens. Ita rectiùs ipsum esse animæ dicitur, quàm propriū: ut anima generica eo ipso esse intelligatur, cum & ipsa vivit, & corpus sibi junctum formaliter vivificat. Nec enim anima cogitari potest, quin actum vivum cogites. Et ita vita ἁπλῶς considerata est* velut actus in suâ formâ, cui realiter identificatur. *Est enim anima essentialiter nihil aliud quàm vita, Vt rectè* Weberus f. 2. §. 12. *Neq; video quomodo essentialem conceptum animæ totaliter exprimere velis, nisi quidditativè vitam vel addas, vel saltem involvas. Est enim anima actus primus corporis organici, formaliter illud vivificans,* th.11. *Et sic ipsi debetur vita* essentialiter constitutivè, non consecutivè. *Nam actus essentialiter in vivendo constituens corpus suum organicum habet vitam quidditativè, non consecutivè. Facit enim corpus vivum participativè. Ipse ergò magis est vivus, & sic radicativè. Nam ob quod aliquid tale, illud magis probabile est esse tale in prædicatis utriq; competentibus. Neq; hæc tantùm de animâ rationali & immateriali procedunt, ut vult* Goclenius, *quasi hæc tantùm formaliter vivat, materialis autem saltem causaliter, ut &* Zanchius *determinat,* l. 2. p.3. d. op. creat. c. 2. th. 2. *sed & materiali: hæc enim æquè est forma vivificans suum corpus or-*

 gani-

ganicum, atq; immaterialis forma suum corpus, humanum nempe. Aequè ergò illi debetur vita ac huic. Et rectè Aristoteles *esse actum formalem sui corporis omni animæ competere dixit,* 2. d. an. c. 1. t. 7. *Nec inde per se subsistens & operās reddetur anima materialis. Hoc enim non facit ad vitam, sed* ad vitam spiritualem, *immaterialem, & separatam à corpore viventis formæ subsistentiam, quod in formis materialibus è potentiâ materiæ eductis non agnoscimus, ut alibi discussum.* Dicitur ultimò *in definitione, vivum facientis compositum Physicum formaliter. Hoc ex* proximo animæ in corpore effectu *sumitur. Hic est velut formalis animæ in composito Physico, de hujus enim vitâ hic agitur,* V. t. 7. *effectus, formaliter vivificare, seu animare suum corpus, cui unitur. Anima enim non est* causa efficiens *vitæ in corpore suo,* sed formalis, *ut* t. 11. *pluribus patebit. Hinc ab animâ corpus est vivum & actu primo & formaliter, intrinsecè ac ἐντελεχῶς, per actum substantialem: & actu secundo, extrinsecè,* ἐνεργητικῶς *& effectivè, ut operationes vitales edat, ac per illas à non viventibus dignoscatur.* Si non *semper operationes expresse sè exerunt, saltem internè occultantur, ut in ecstaticis:* Si non *omnes operationes se produnt, saltem aliquæ. Sic in moribundis, utero suffocatis, deliquium patientibus, tenuis respiratio permanet, cum cæteræ operationes videantur esse extinctæ.*

9. *Explicatâ ita* definitione vitæ *patebit, quid de* cæteris *definitionibus habendum sit, quæ variæ sunt, & cæcitatē mentis nostræ etiam in manifestissimis coarguunt, ut cum omnes nos vivere sciamus, quid tamen vita ipsa sit, vix accuratè explicare queamus.* Quidam *per motum, operationem & actionem definiunt. Ex veteribus* Dionysius *eam per motum definijt ap. Aristotel.* 6. Topic. c. 6. *Ex Neotericis* Cardanus l. 5. d. subt. p. 273. Valla l. 1. Dial. c. 16. Zanchius l. 2. d.

hom.

hom. c. 3. th. 5. & c. 2. q. 1. *per actionem & operationem animæ eam definiunt. Unde* Valla *vitam bonam vel malam dici ait, quando quis benè vel malè agit. Falsò.* 1. Esset *sic vita de prædicamento actionis & sic accidens. Sic homo, brutum, viveret per accidens aliquod, non per propriam essentiam. At vivere ipsis est esse,* th. 3. *non accidens aliquod.* 2. Esset *actionis actio, & hujus alia, & sic in infinitum. Nam vitæ actiones vocantur nutritio, accretio, generatio. Si vita est actio, ergò actionis hujus alia est actio, & sic consequenter: At actionis non est actio, sicut nec motionis motio.* 5. Phys. 2. t. 10. *Nec* Vallæ *argumentum stringit. Nam vita bona, mala, ab actionibus dicitur moraliter & Ethicè, non autem naturaliter & physicè. Vita est actio Ethicè, quia ex actione æstimatur & denominatur:* V. t. 3. *Est actus essentialis physicè, quia esse viventi & completionem essentialem largitur.* Taurellus l. 2. d. vit. §. 4. 6 7. motum substantiæ consistentis *definit, quo ipsa seipsam movet, ut nec immutet hoc ipso aliud, nec ipsa immutetur.* Falsò *& hoc. Motus effectus vitæ est, vita ejus principium in vivente. Et multæ substantiæ consistentes motum, i. e. operationes habent, vitam non habent, ut lapides, metalla, mineralia.* Falsum *& illud, vitam omnem in eo consistere, ut substantia nec immutet aliud, nec ipsa immutetur. Dei & angelorum vita id competit, non animalium, non plantarum. Hæc vitali potentiâ immutant alimenta in propriam substantiam, & ipsa perpetuâ nutricatione & instauratione partium absumptarum immutantur.* Alij *permansionem animæ & corporis eam dicunt, adeoq; continuationem & durationem unionis eorum.* Keckerm. l. 3. Phy. c. 10. Timpler. l. 1. Empsych. c. 2. q. 2. Eustach. S. Paul. loco t. 7. *citato, alijq;. De permansione dictum* th. 7. est. *Durationem malè vitam dici evidens est. 1.* Si vita *est duratio, E. ea, quæ ad momentum sal-*

 tem

tem vivunt, non habebunt vitam, non enim durant, nihil enim momento dicitur durare. Et id interest inter existentiam & durationem, quòd hæc existentiæ adjiciat continuationem, ut Metaphysici disputant. At sic fœtus modò nati & denati non vixisse dicentur, quod tamen omnes de illis enuntiant. Confer th.7. 2. Vita *est principium operationum. Duratio & continuatio non. 3. Si vita est duratio usq; ad terminum, ut vult* Timplerus, *E. qui terminum vitæ nondum attigit, non dicetur vivere, quod contra sensum communem est. Omnes enim dicimus hominem vivere, etsi nondum terminum attigerit.*

10. *Fernelius* l. d. fac. an. c. 16. *vitam conservationem facultatum & actionum definit.* Vives *conservationem instrumentorum, quibus anima utitur in corpore,* ap. Scaligerum ex. 102. f. 5. *Falsa & hæc. Confunditur enim signum cum signato, effectus cum causâ. Conservatio actionum non est ipsa vita, sed effectum & signum facultatis & principij viventis. Vita est actus primus, conservatio secundus: vita est substantia, conservatio accidens: Vita est prius & causa, conservatio posterius & effectum. Quamdiu est vita, tamdiu est conservatio instrumentorum, & quia est vita, ideò est conservatio: non contrà, quia est conservatio instrumentorum, ideò est vita. Non enim illa esse posset, nisi prius hæc esset.* Schröderus de com. pro. t. 195. *facultatem vitaliter operandi definit. Sed* 1. facultas *propriè dicta operandi aliquid in creatis est accidens, ut ostendi* dec. 1. d. 4. t. 14. *Vita autem est principium substantiale, non accidentale, & viventibus est & dat esse, non accidens aliquod.* 2. facultas *ordinem habet ad specialem aliquam operationem, tanquam ultimam sui perfectionem, potentia enim ordinatur ad actum, ut ultimum suum complementum, ut* c. l. *docui. Sed vitæ talis*

operatio

operatio specialis assignari non potest. Quænam enim ea erit? Si vivere *dicas, nimis illud generale est, & specialius nomen assignandum erit, prout determinatis facultatibus & potentiis determinatas operationes assignamus. Sic potentiæ nutrici non vita in genere, sed nutritio assignatur, auctrici augmentatio, expultrici expulsio. Et præterea vita non est actio, sed actus substantialis.* V. t. 9. *Si* vegetari, *adhuc specialiùs determinandum erit, quid per istud vegetari intelligatur. Generaliter enim vegetari & vivere pro iisdem sumimus. Si* nutriri aut crescere, *speciales illæ facultates habent, quarum determinata sunt opera, ut virtutis nutricis, auctricis, non vitæ in genere, ut determinatæ suæ facultati assignari debeant. Si* facultas latissimè sumatur *pro quovis principio operarum & effectionum, meliùs, specialiùs ac distinctiùs actus substantialis dicetur, quàm facultas, prout* th. 4. *factum.*

11. *Circa* ultima definitionis verba *movetur difficultas, an vita sit in corpore animato formaliter, an verò effectivè, adeoq́, an anima corpori sit causa vitæ formalis, an verò efficiens? Posterius affirmant* Goclenius p. 1. misc. p. 67. vel in alijs p. 76. & par. 3. p. 52. 53. & adversa: q. 68. Zanchius p. 3. d. op. 6. dier. l. 2. c. 3. th. 5. Keckerm. l. 2. Gym. Log. ap. D. J. Mart. de com. pro. cap. 14. Gutber: vind. c. Finck. d. 5. t. 10. & assert. d. 5. t. 21. *ut inde duplicem in uno homine vitam probent, & communicationem vitæ ab animâ in composito faciliùs negent. Prius* Weberus c. l. s. 1. & 2. D. Meisnerus p. 1. P. S. s. 1. c. 1. q. 2. mem. 2. & s. 3. c. 6. q. 4. Ruvius 2. d. an. q. 5. proæmia: n. 7. D: J. Martini c. l. Timplerus lib. 1. Empsy. cap. 1. q. 8. Schröderus de comm. prop. t. 224. 278. 308. 309. Combach: l. 4. Phys. c. 2. com. 2. *ubi vitam ab animâ ut à formâ, proprietates ut ab efficiente oriri docet, & alij. Atq́ hoc* rectiùs, 1. Si ani-

ma *est actus primus formalis corporis organici potentiâ vitam habentis, etiam est causa formalis vitæ in corpore. Nam causa formalis rei dat esse non per effectum aliquem, & quod ipsa facit in corpore, sed per id, quod est ipsa, seu per proprium suum esse & formale. Sic anima dat esse homini non per efficientiam aliquam ex se productam, sed per propriam suam essentiam & formalitatem:* Forma humana adveniens materiæ *facit hominem ad modum formæ, non ad modum agentis, quomodo homo generans alterum hominem dicitur facere hominem, ut agens, ait* Zabarell. l. de ment. ag. c.3. *At anima est talis actus primus formalis, ex definitione Aristotelis* 2. d. an. c. 1. t. 6. *Ergò & ita est causa vitæ, nempè ut actus formalis, non ut efficiens.* 2. Quomodo *anima est* ἐντελέχεια *corporis, ita & causa vitæ. Nam accedens ad corpus facit ex potestate animato actu animatum. At* ἐντελέχεια *ejus est formaliter, non efficienter, est enim propria forma corporis animati, non efficiens. E. & ita est causa vitæ.* 3. Quomodo *anima facit corpus animatum, ita & vivum. Animatum enim nihil aliud est, quàm vivum, & æquè latè hæc patent. Et anima & vita etiam realiter sunt unum & idem, essentia nempè ipsa animæ.* V. t. 8. *At corpus animatum facit formaliter, est enim ejus forma, non causa efficiens. Corpus est velut materia, anima velut forma, unde compositum per se exsurgit, corpus animatum. E. & ita vivum facit.* 4. Si homo *est animal formaliter, etiam est vivus formaliter. Nam hoc essentialiter in sensitivo includitur. At est animal formaliter, quia de formali ejus hoc est definitione. E. & vivus formaliter, & consequenter vitam ab animâ habet formaliter, non efficienter.* 5. Efficiens est agens *externum & causa externa, cujus operatio est* ἐνέργεια. *Sed anima est agens internum & causa interna vitæ, cujus operandi ratio est* ἐντελέχεια, *non* ἐνέργεια.

ἐνέργεια. *Et prædicandi ratio est interna, corpus est animatum, ab internâ formâ manans, non externâ causâ denominata. E. nec efficiens vitæ in corpore animato anima esse potest.* 6. Si corpus *vivit per vitam ab animâ in ipso productam, tùm anima non erit causa principalis & proxima operationum vitalium in corpore, sed ista vita producta. At anima est prima causa operationum vitalium, est enim principium formale & actus primus vivendi. Est id, quo vivimus, sentimus, & intelligimus primò, ait* Arist. 2. de an. c. 2. t. 24. *Et* sentire, vivere, intelligere, sunt gradus essentiales animatorum, *qui non aliunde quàm ab actibus substantialibus primò & immediatè esse possunt. E. vita corporis non est per efficientiam in ipso producta.* 7. *Ipse* Zanchius *sibi contradicens* c. I. c. 2. q. 1. *concedit animam esse actum primum, i. e formam essentialem ita perficientem corpus animatum, ut & vivere & vitæ opera exercere possit. Postea verissimum esse ait, animam esse corporis animati formam &* ἐντελέχειαν, *quæ causa sit, cur corpus & vivat, & vitæ officia præstare possit. Sic & spiraculum vitæ, quod Deus insufflavit Adamo, fuit essentialis forma hominis, principium & causa vitæ & operationum in homine. Si anima est forma, altera pars essentialis viventis, actus primus, utiq; est causa formalis vitæ in vivente, non autem efficiens.*

12. Dices 1. Vita animæ *est actus quidam primus. Sed vita corporis est actus secundus. E. ab animâ efficienter causatus in corpore, Et sic efficiens vitæ anima, non formalis. R. Prout hic vita sumitur, ita non est actus secundus, sed primus. Est enim actus substantialis, non accidentalis.* t. 6. *At actus secundus omnis est accidens. Et corpus animatum est substantiale compositum, non accidentale* t. 7. 9. *Sic oculus dormientis vitam habet, id est, actum primum & substantialem,*

lem, est enim animatus, & corporis animati: actum secundum & operationem non habet, non enim videt. Non hic vita pro actu secundo & operatione vitali sumitur, sed primo, & actu substantiali formali, formaliter ab animâ in corpore causato. V. t. 3. 2. Anima *est forma corporis animati. Sed vita animæ est forma corporis vivi, quà vivum est. E. hoc effectum istius, Et sic anima efficiens vitæ in corpore vivo erit. R. Vita animæ & est forma corporis vivi, & animati, nec differunt* sensu & significato *vivum & animatum, sed idem notant. Anima secundum actum, quo est* ἐντελέχεια, *est forma corporis vivi & animati: Et sic vita animæ, ut est actus substantialis, est forma utriusq́. Non informat anima corpus secundum actum intellectus vel voluntatis, sed vitæ, & secundum illum est substantialis forma corporis vivi. Sic vita animæ est & vita corporis, quoad rem & actum, etsi in modo habendi actum sit diversitas. Anima est viva originaliter: corpus dependenter & communicativè.* Conf. th. 21.

13. 3. Vita animæ *non dat esse corpori simpliciter, ut sit corpus, sed esse tale & determinatum, ut sit vivum corpus. Sed quod tale & tale esse dat, id accidentale esse dat, non essentiale. Et sic vita est accidens corporis, & consequenter* ἐνέργεια. *Et per hoc anima efficiens vitæ in corpore. R. non dat esse corpori quà corpus est, sed quà animatum est. Et sic vita est actus substantialis & forma corporis animati*, quà animatum *est, non quà corpus in genere est. Et ita absolutum & quidditativum esse animato largitur, quà animatum est, i.e. est ei causa formalis essendi, ut sit vivum, non efficiens. Sicut albedo quidditativum esse isti complexo, corpori albo, dat, & sic pro formâ ei est, etsi corpori, ut sic, esse non suppeditet. Dealbator propriè est causa efficiens corporis albi, albedo formalis. Non hic de corpore ejusq́ formali causâ, an id sit anima, quæritur, sed de*

corpore

corpore vivo & animato. Huic quod dat vivificationem, id & animationem, perinde enim se habent. Utrumq; dat anima, ut ἐντελέχεια, *non ut* ἐνέργεια. 4. Anima *est forma substantialis hominis. Si vita animæ etiam est forma substantialis ejus, prout corpus vivum est, jam in uno composito duæ formæ substantiales simul erunt, quod est absurdum. R. Vita animæ, i. e. anima vivens est forma substantialis & hominis, & corporis vivi in homine contenti, ut una forma, non ut duplex, nec opus hic est duabus formis. Hominis est forma ut compositi totaliter, ultimatè & adæquatè concepti:* corporis vivi in homine, ut ejusdem compositi partialiter & magis inadæquatè concepti *secundum aliquam sui partem & determinationem, secundum corpus vivum. Sic eadem anima est & forma hominis, & forma animalis, & forma corporis vivi in homine*, quæ sunt magis vel minus inadæquati conceptus essentiales unius ejusdemque compositi: *& eadem forma est & forma totius, & partium in toto. Non pro diversis conceptibus essentialibus magis vel minus adæquatè ac totaliter conceptis multiplicare formas substantiales in uno composito cum Nominalibus est opus, ut alibi pluribus disceptabitur.*

14. *Ita* definitio vitæ Physicæ *discussa sit: Sequuntur* causæ. *Eæ* vel *externæ* vel *internæ*. Externæ *efficientes & finales. Efficiens* vel *procreans* vel *conservans*. Procreans prima *vitæ Physicæ est Deus, qui in principio creaturæ produxit substantias viventes secundum genera & species suas.* Gen. 1. v. 11. 20. 24 *& adhuc eis vitam dat & servat.* Act. 17. v. 25. 28. Esai. 42. v. 5. Secunda *est generans, partim* univocus, *cum inter causam & effectum eadem quà speciem est natura, ut cum canis canem, homo hominem generat: partim* æquivocus, *cum causa & effectus diversarum specierum sunt. Ut*

 cum

cum sol calore vivifico producit ranam è limo, scarabæum è fimo, murem è quisquilijs, & sic consequenter. Causa conservans *eam est calidum & humidum radicale rectè se habens beneq́; temperatum, unde temperamenti validitas exurgit.* Taurell: l. d. vitâ *negat, calorem ad vitam facere, quòd & in plantis ea dicatur esse, in quibus nullus calor observetur. Sed etsi expressus in illis non advertatur, internum tamen & virtualem in illis esse concoctiones & elaborationes nutrimenti, nutritiones, accretiones & alia doceant, quæ sine calore naturali perfici non possunt. Ad* conservantia *vitæ & legitima rerum non naturalium, ut vocantur, adhibitio, affectuum moderatio, bona diæta, præstantia medicamenta, cordialia, Catholica, conservæ, & similia faciunt, qualia apud Medicos, ut* Horstium, Cardanum, Ranzovium, Grataroluм, *aliosq́; legamus. Etiam frigus moderatum vitæ conducit, calorem temperans, & consistentiam humido concilians, ne nimis diffluat.* Finis *vitæ est* vel *ultimus, Dei gloria & majestas agnoscenda.* Prov. 16. v. 4. Psal. 148. v. 7. 9. 10. Psal. 149. v. 2. vel *intermedius, salus & essentia viventium, & specierum conservatio.* Internæ causæ *vitæ sunt forma & materia.* Forma *vitæ, prout hic pro effectu formali in composito excitato sumitur, est anima vivens, à quâ vita naturalis ut effectus formalis in composito causatur & dependet, ut* thes. II. *visum. Prout* vita *sumitur ut actus quidam essendi operandiq́; vitaliter, ita ipsa est forma, omnis enim actus sumitur ut forma; non aliam causam formalem habet.* Materia ex quâ *hic nulla, pro eâ assumitur* materia in quâ, *seu subjectum. Hoc* quodnam adæquatum & perfectum in vitâ Physicâ sit, *quæritur. An anima, an corpus, an composium?* Quidam *hic* inter formas materiales & immateriales *distinguunt. Materiales non esse subjectum vitæ, nec vivere per se ipsas, sed esse prin-*

cipia facientia tantùm vitam in suis compositis, quæ vera vitarum sint subjecta. Immateriales & vitam dare compositis, & ipsas per se vivere & extra corpora subsistere posse. Zanchius & Goclen: locis th. 8. *citatis. Huc & illi pertinent, qui potentias materiales, ut sensitivas & vegetativas, non esse in animâ ut subjecto, sed composito dicunt, ut* Valentia T. 1. d. 6. q. 3. p. 3. *ubi Thomam & alios allegat. Consequenter illi id dicent de vitâ materialium formarum. Sed quoad vitam animæ hoc discrimen inter formas non necessarium esse* c. 1. *ostensum est. Et esse animam certo respectu primum ac radicale vitæ subjectum negari non debet, si distinguenda satis competenter distinguantur.*

15. Subjecti ratio *varia est, eamq́, priusquam anima vel simpliciter asseratur vitæ subjectum, vel negetur, accuratè secernere oportet, ne asseveranda negemus, aut distinguenda confundamus.* Subjectum aliud est inhæsionis, *cui velut origini & radici vis aliqua inæhret, dicitur & subjectum Quo:* aliud adhæsionis, *quod adjunctum extrinsecè ad se recipit:* aliud *informationis, quod primò ab aliquo adjuncto afficitur & perficitur:* aliud *operationis & denominationis, cui ut toti operatio adscribitur adjuncti, & quod ab virtute aliquâ denominatur, dicitur & subjectum Quod. Subjectum inhæsionis vitæ est anima vivens, cui tanquam radici & origini vita vel ut vis vel effectus formalis perficiens est attribuenda. Subjectum informationis vitæ est corpus, quod vivificatur. Illud enim ut animâ informatur & perficitur, ita & effectu ejus formali, quem vitam diximus* th. 7. *informatur.* Subjectum operationis *& denominationis, & ut Quod vitæ physicæ, quod vitales operationes exercet, est totum compositum s. corpus animatum, animâ & corpore constans, & quævis ejus pars propriè dicta, tàm principalis, quàm secundaria. Compositum*

enim hoc Physicè dicitur vivere, sentire, moveri, nutriri, non sola anima, non solum corpus. Nam quod proprium est substantiæ incompletæ per inhæsionem, prædicatur de composito & substantiâ completâ per denominationem & operationem. Et hoc volunt Philosophi, quando potentias vitales recipi in corpore animato ut subjecto disputant. Ut cum Aristot. l. d. som. & vig. c. 1. *sentire non proprium animæ, nec corporis, sed conjuncti dicit: cum* lib: d. sens. c. 1. *sensum totius animalis ex animâ & corpore constantis vocat: cum negat animam misereri, discere, cogitare, sed hominem animâ, nec motum in illâ esse, sed interdum usq; ad illam, interdum ab illâ.* l. 1. d. an. c. 4. t. 63. 64. *Cum passiones materiæ & corporis esse, & hoc cum illis aliquid pati ait.* 1. d. an. c. 1. t. 12. 14. 15. *Cum Scaliger* ex. 102. s. 5. *vitam motum ab animâ, non in animâ esse ait: cum* Zabarella l. d. fac: an. c. 11. *ubi anima sensilis est, ibi & facultates ejus saltem ut in origine, (i. e. subjecto originali) esse ait, etsi non omnes semper ut in subjecto. Similia* c. l. c. 4. 15. & l. d. part. an. c. 14. *habet. Quem sequuntur* Thomas p. 1. q. 77. a. 5. 8. Valentia Tom. 1. d. 6. q. 3. p. 3. Timplerus l. 1. Empsy. c. 2. q. 4. & 7. Goclen. p. 1. misc. p. 73. 74. 75. & p. 2. p. 235. 236.

16. *De subjecto* operationis totali, adæquato & denominationis *illa verissimè procedunt. Quod si & de* ipsis potentijs *hoc intelligatur, & ad subjectum inhæsionis ac originis extendatur,* vel de potentiâ totali *& adæquatâ id explicandum erit, quæ corpori animato ut adæquato subjecto tribuenda erit, non inadæquatâ & principali, cujus subjectum animam per se esse omninò est concedendum: vel si ne hoc quidem animæ relinquatur, vitam animæ ut principali subjecto inesse facilè probari potest.* 1. Om. actus formalis *est in suâ formâ, ut in primo subjecto originali & inhæsionis. Nam ab eo*

de-

derivatur in materiam, quæ inde formata dicitur. Sic absurdè animam sentientem dices, & vim sentiendi primam & originalem ei inesse a. competere negabis. Animam intelligentem, & vim intelligentem primam & originalem ei convenire negabis. Sed vita est actus talis formalis ab animâ in composito formaliter causatus, per th. 11. *Ergò & vitam primò ac originaliter ei ut subjecto originis inesse oportet.* 2. Quia *per emanationem formalem vita ab animâ emanat, ut ubi anima, ibi vita, & ubi hæc, ibi anima. At quæ ita emanant, sunt in subjectis originis, à quibus emanant. Operatio eorum potest esse transiens, & in alio ut totali subjecto recepta: vis & actus primus in ipsis formis est.* 3. Quia *corpus per animam vitam habet, non per seipsum. E. oportet etiam in animâ vitam esse, ut ab eâ in corpore communicari queat. Qui vitam* facultatem *definiunt, à naturâ facultatum, quòd in animâ resideant, plura ducunt argumenta.* V. Schröder: de com. pro. t. 248. 249. seq. 4. Assentitur *apertè* Aristoteles 4. Meta. c. 18. *Anima, dicens, pars quædam hominis est,* in quâ primâ, *(i. e. ut primo subjecto)* ipsum vivere est. *Quidam etiam ex ipsis dissentientibus.* Valentia c. I. *concedit, etiam operationes sensitivas principaliter esse ab animâ, & in animâ, quia ab animâ habeat corpus, ut illæ operationes etiã ab ipso & in ipso sint, nec illas possit habere, nisi per animam informaretur.* Si *operationes sunt in animâ, magis facultates & actus primi ad operandum in eâ erunt, & magis vita ut actus primus in eâ subjectabitur.* Goclen: p. 1. misc. p. 74. *ait, Anima & subjectum & principium est potentiarum, ut potentia sentiendi ab eâ emanet, & in eâ immaneat. Similia* p. 75. *habet.* Par. 2. misc. p. 245. *Concedo, ait, vitam, sensum, &c: in animâ esse, ut in subjecto partiali, non autem de totali & adæquato, quod est corpus animâ informatum,* Zanchius l. 2. de hom. c. 3. t. 5. *conce-*

dit, vim vegetandi retinere animam etiam à corpore separatam, & si in corpus redeat, confestim illud à vegetativâ foveri. Si vis vegetans *manet in animâ separatâ, utiq; hæc primarium ejus subjectum erit, & sic magis vitæ primum subjectum erit. Hoc ipsum intendimus.*

17. *Dices* 1. In eo est *potentia ut subjecto, in quo sunt operationes,per* Arist. l. de somno. c.1. *Sed operationes vitales sunt in composito & corpore animato, ut sentire, videre, moveri, E. & in eo vis vivendi & sic vita erit. R.* 1. *In eo sunt potentiæ, in quo sunt operationes, sc. tanquam in subjecto ultimo, totali & adæquato, quod denominationem inde habet. Non a. ut in subjecto originis. Hoc aliud ab eo esse potest, à quo operationes adæquatè exercentur.* 2. Major *est axioma Topicum & probabile, plerumq; valet. Non tamen semper. Potentia efficiendi motum, cantum, cursum,&c: est in animâ. Effectio cursus, cantus, in corpore & composito.* Conf. dec.1. d.5.t.19. 3. Non *valet de operatione, quæ est* ἐνέργημα. *Vt: in ligno statuato est opus effectum, statua. E. & in eo est potentia statuandi, s. statuam efficiendi.* 4. Valet major *de potentiâ proximâ & adæquatâ, quæ proximum operationis principium, ut vis videndi proxima est in oculo, in quo est visio: non remotâ & principali, quæ in alio subjecto esse potest. Sic potentia prima videndi est in animâ: proxima in organis rectè ad opus dispositis.* 5. Valet major *de potentiâ in se, non de modo habendi illam. Cujus est operari, ei & competit posse operari, sed vel à se id posse habet, vel ab alio. Sic corpus animatum vivit. E. & potest vivere. Et hactenus subjectum. Sed vel vivit à se, quod non, vel ab alio, animâ, quod verum, & ita anima principale vitæ subjectum non negatur. Dices* 2. Si vita est *in animâ,ut subjecto, E. & potentiæ vitales, ut nutrix, auctrix, expultrix, generatrix. At omnes has in com-*

in composito esse ajunt. R. Negatur Cons. Majoris. Vita non est potentia accidentalis ad operandum proximè ordinata, ut potentiæ vitales: sed essentialis in animâ essendi gradus, & ad formalitatem animæ pertinet, non operativam accidentalitatem, ut dixi thes. 8. & dec. 1. d. 4. t. 15. *Dicitur interdum principium operationum, sed id radicaliter & remotè intelligendum, non proximè. Deinde & potentias vitales in animâ ut in subjecto principali & partiali locare non video, quid absurdi importet. Sic vis nutrix, auctrix est in animâ, ut radice & subjecto originali, à quâ exercetur in organis corporis & per ea.* 3. Si vita *est in omni animâ, ut subjecto primitivo. E. & in animâ materiali. E. poterit & illa separata à corpore vivere, & sic esse immortalis, ut anima rationalis, quod absurdum. R. Neg. Cons. Aliud est vitam in se ut subjecto primo habere, aliud eam* immaterialiter & independenter à corpore *habere. Hoc facit immortale, & animæ materiali non competit. Prius non,* V. th 8. *Plura in discursu.*

18. *Ita* definitio, causæ & subjecta *vitæ Physicæ expedita. Succedat* divisio. *Ea* vel *in species analogicas,* vel *gradus. Ex speciebus* vita *vel est hyperphysica*, vel *physica. Hyperphysica, quæ supernaturali principio nititur, ut spiritualis Dei, angelorum, & animarum humanarum separatarum. Quæ quid sit,* th. 3. 7. *dictum. Ea hic ob prolixitatem discuti non potest, cum sat multa tractare vita Physica suppeditet.* Physica, *qua ex principio Physico est, &* t. 5. *definita. Hæc* vel *est plantalis* vel *animalis.* Plantalis *est, quæ animâ vegetativâ insensatâ ut principio specifico formali constituitur. Vulgò dicitur, animam vegetantem facere plantam, & esse formam plantæ specificam. Sed hoc falsum esse facilè evincitur.* 1. Forma *generis nondum est forma speciei, nisi aliquid ulterius determinans adhuc accedat. Vegetans est tantùm forma generis,*

nem-

nempè corporis vivi. Ubi vegetantem formam ponis, ibi corpus vivum ponis, *quod est generalis conceptus ad plantam, animal, hominem, nondum in specie plantam constituit. Ergò.* 2. Si vegetans *forma specifica plantæ. E. ubi vegetans, ibi planta erit. Sed in bruto & homine est anima vegetans. Est enim in illis nutritio, accretio, generatio, quæ operationes vegetantis animæ sunt. E. brutum & homo erunt plantæ. Ita concludit* Cardanus l. 11. d. subt. p. 625. *& rectè, si vegetans forma plantæ specifica existat: malè, si generica corporis vivi, quod nos sentimus. Et plus inde non sequitur, quàm hominem & brutum esse corpus vivum, quod verissimum. Plura in doctrinâ de animâ de hoc. Conf.* Hippium qu. Phy: 39.

19. *An* adæquata illa sit divisio *vitæ in plantalem & animalem, quæritur? Peccatur hic in defectu & excessu.* Defectu 1. ab illis, *qui negant vitam aut animam plantis inesse, & naturam malunt appellare. Vt* Taurell. l. 1. d. vit. §. 3. l. 2. §. 2. & appendic. §. 4. 5. 6. 7. & l. 5. c. Cæsalpin. q. 6. n. 4. Stoici & Epicurei ap. Plutarch. 5. d. plac. Philos: c. 26. *aliiq;* ap. Magir. l. 5. Phy. c. 4. n. 5. Arriagam d. 2. d. an. s. 1. n. 2. *Contraria tamen opinio communis est, & ab* Aristot. l. 1. d. plant. c. 1. *statuta. Et probatur: Operationes formæ vivæ in plantis depræhenduntur, ut nutritio per internam assumptionem nutrimenti, elaborationem, & internam in minutissima resolutionem ac in substantiæ suæ conversionem: auctio per internam partium accretionem, etiam remotiorum, & similis speciei per semen vel analogon aliquid progeneratio. Quas operationes nec in igne per se vi tractionem se velut nutriente & conservante, nec per novæ materiæ appositionem se extendente aut augente, nec in aquâ cumulo majoris aquæ adjecto accrescente, nec metallis aut lapidibus per externas aggregationes augmentatis, nec in ullo inanimato observamus.*

Et in quibus operationibus specifica ratio & discrimen virtutis vitalis à non vitali consistit, ut fusiùs in doctrinâ de plantis, & potentiis vitalibus docere, ac ab exceptionibus adversantium vindicare par est. E. nec formam vivam plantis negare debemus, i.e. animam. 2. Ab illis, *qui unam tantùm vivendi differentiam agnoscunt, animalem, adeoq; plantas sub eâ comprahendunt, & animam sentientem habere ac animalia esse contendunt. Vt* Anaxagoras, Democritus, Empedocles, Plato ap. Aristot. l.1. de plan. c.1. Plutarch. c. l. *Sed cum nec sensu nec appetitu cognitivo, nec locomotione præditæ sint, absurdè inter animalia recensentur. Conf.* Scaliger. ex. 138. *Plantanimalia aliquid sensus & motus habere deprahenduntur, sed obscuri: nec sunt perfectæ plantæ, sed plantanimales, ut alibi docetur.* In excessu *peccant* 1. Illi, *qui & lapidibus & metallis vitam attribuunt. Vt ex antiquis* Thales. V. t. 3. *ex Neotericis* Cardan⁹ l.7. de subt. p. 330. 380. 394. *Et omnia mista vivere asserit.* l.5. p.269. l.7. p.338. & in apolog. f. §. 101. Cæsalpin. in invest. dæm. c. 3. *ubi omnia corpora universi vivere ait, quia adnata sint universo, quod per intelligentiam animetur.* Contrarium *commune est apud Philosophos, formas specificas habere lapides, metalla, mineralia, non animas.* Operationes enim vitales, *tales, quales ante determinavimus, in metallis, lapidibus & singulis mistis non inveniuntur.* Conf. Magir. l.5. Phy. c.1. litt. D. Scalig. ex. 101. f. 18. ex. 102. f. 1. 2. 5. 2. Illi, *qui cælis etiam & stellis animã & vitam tribuunt, ut* Theophrastus & Aphrodisæus ap. Bodin. l. 5. th. nat. p. 551. 552. Bodinus ipse c. l. Origenes & Origenistæ ap: Pontanum c. 38. cat: hæret: Lullius in art. br. ap. Agrippam in comm. in art. br. p. 18. *& alij. Sed nec in his operationes internas vitales observamus, de quibus ante dictum, & consequenter nec illis*

vitam aut animam tribuere possumus. Et ex motu statim animam inferre perinde est, acsi fluminibus, mari, igni, corpori gravi deorsum vergenti animas assignes, quia motus in illis observamus. 3. Illi, *qui vitam pygmæorum, nympharum, homunculorum montanorum mediam inter plantalem & animalem faciunt, eosq́; geistmenschen/ non seelmenschen vocant, ut Paracelsus, de quo* dis. 1. t. 23. dixi. *Quem sequuntur* Nollius l. 3. Phy. herm. c. 5. 6. Kornmannus in Monte Vener: c. 24. 28. 29. *Sed incerta hæc omnia sunt, ut* c. l. *dictum. Illis opinionibus rejectis manet divisio vitæ naturalis in plantalem & animalem adæquata, nullum enim* corpus naturale vivens *reperitur, quod non vel planta sit, vel animal.*

20. Animalis vita *est, quæ animâ sensitivâ ut specifico principio constituitur. Anima sensitiva est, quæ præter vegetationem præstat sensum & motum formatis, ut in cane, leone, asino, videmus. Sed illi sensus & motus in aliis animalibus sunt perfectiores, in aliis imperfectiores; Ut lumbricis, scarabæis. &c. Animalis vita* vel *est bestialis* vel *rationalis.* Bestialis, *quæ animâ sensitivâ brutali ut specifico principio constituitur. Bruti enim, ut brutum in specie est, forma specifica est non anima sentiens in genere, quæ corpus sentiens & animal in genere tantùm constituit: sed anima sentiens bestialis, tali essentiali gradu determinata, ut ratione careat, & brutalitate constet. Hæc in multas inferiores species diffunditur, prout sub brutali animali varias brutorum species esse constat.* Rationalis *est, quæ animâ sensitivâ rationali & intellectivâ velut principio specifico constituitur. Ut in specie humanâ. Contra hanc divisionem ejusq́; membra iterum peccatur* excessu & defectu. 1. Quidam *tertium membrum adjiciunt, vitam satyri, quæ satyrorum, faunorum & similium sit, quomodo & inter hominem & brutum medium faciunt, satyrum. Vid. Alsted.*

sted. p. 6. Phys. c. 3. §. 2. *Sed satyri vel Poetarum sunt commenta, vel Sathanæ ludibria, non veræ distinctæq́; ab homine vel bruto sentientes creaturæ.* Conf. Camerar. C. 1. c. 71. 2. Quidam *cuilibet homini duas animas & mentes tribuunt, quarum una alteri perpetuò repugnet. Vt Manichæi* ap. Pontan. c. 32. cat. hæret: Alij *ex adverso vitam humanam non à quavis numerica forma in quovis supposito pendere dixerũt, sed ab unâ aliquâ generali animâ, omnibus hominibus competente, & vivere humanum ipsis attribuente, ut* Averröes & Themistius *ap:* Zabarell. l. d. ment: hum: c. 3. 10. *Falsò utrumq́;, ut in doctrinâ de animâ pluribus docetur.* 3. Alij *vitam Christi physicam non ab animâ humanâ deduxerunt, sed deitate, quæ ipsi fuerit pro animâ, ut Apollinaristæ ap:* Pontanum c. 6. cat. hær: *Eutychiani* ap. eundem: c. 23. Alij *animam humanam ipsum habuisse negârunt, ut Eunomiani ap: eundem* c. 22. *Apollinaris* ap. D. Brochm. d. Chris. c. 3. s. 2. *qui animam* ἄλογον *ipsi tribuit.* Anabaptistæ *animam divinam ipsi tribuunt, qualem pater habet, cum per animam suam jurat.* Jerem: 51. v. 14. Amos 6. v. 8. *apud* Assuerum d. incarn. c. Anabap. p. 1. c. 2. Alij *carnem ejus diversæ substantiæ à nostrâ & cœlestis naturæ dixerunt, ut ijdem & Svencfeldistæ, Servetistæ, Methistæ, Paracelsistæ, alijq́; de quibus alias. Falsò omnes. Scriptura carnem & sanguinem Christum habere ait, ut pueri habent.* Hebr. 2. v. 14. *Sed illi & naturalem habent, & animâ humanâ velut formâ informatam habent: & eadem scriptura Christum fructum lumborum Davidis vocat,* Act. 2. v. 30. *& ventris Mariæ.* Luc. 1. v. 42. *Plura aliàs de hoc.*

21. 4. Quidam *vitam physicam renatorum non ab animâ, sed ipsâ essentiâ divinâ essentialiter fidelibus unitâ deducunt, per quam moveantur, vivant, crescant, generent, &*

quæ animam physicam in se velut deglutierit. Vt fanatici, Stiefeli⁹ *ap.* Weberum in ψeudochr. ocrea: præf: p. 19. 20. *Impiè & contra scripturam, quæ & fidelibus animas tribuit,* Luc: 1. v. 47. *& in Christo eam fuisse docet.* Matth:26. v. 38. *qui nobis in essentialib⁹ planè fuit similis.* 5. Quidam *vitam & animam intellectivam etiam cælis & stellis adscribunt.* V. t. 19. 6. Quidam *vitam rationalem sub animali negant comprahendendam, & hominem accedente mente desinere esse animal contendunt. Vt* Cardan: l. 11. subt. p. 625. *At gradus specialior, qualis rationale, non tollit generaliorem, qualis animale, sed determinat. Sicut esse canem, non tollit esse animal, sed restringit ad tale & tale animal.* 7. Quidam *vitam rationalem in uno supposito duplicant, & in homine vitam aliam animæ, aliam corporis statuunt.* Goclen. advers. q. 68. p. 1. miscell: p. 73. 74. p. 3. p. 66. 67. Gutberletus vind. c. Finck. dis. 5. t. 10. *Quidam ad omnis animati vitam id extendunt.* Timpler. l. 1. emps. c. 2. q. 7. & l. 3. Meta: c. 3. q. 13. Keckerm: l. 3. Phy. c. 10. Goclen: par. 1. c. l. Arriaga d. 2. d. anim: n. 1. *Contrà:* 1. Anima *dat vitam composito formaliter & ut forma, non efficienter,* th. 11. *E. per suam propriam vitam facit vivum compositum, non per aliam, quam in eo efficiat. Et sic una vita est animæ & compositi: illius originaliter, hujus dependenter. Anima vivit per naturam & essentiam: corpus per communicationem & dependentiam. 2.* Si vita *compositi alia ab vitâ animæ,* vel *substantia erit, sic compositum habebit duas formas substantiales specificas in se, eritq; compositum duplex, non unum:* vel *accidens, sic compositum vivet per accidens aliquod, erit ens per accidens & aggregationem, non unum essentiale & per se. At hæc sunt absurda. E. & illud. Si* modum quendam *substantiæ adhærentem esse cum Kecker: dixeris, iterum ille modus vel substan-*

tialis

tialis vel accidentalis erit, & in priora absurda relaberis. Modus enim sequitur naturam subjecti, cujus est modus, ut alibi docetur. Plura apud D. Meisn. p. 1. P. s. p. 614. Schröder. d. com. pro. t. 280. seq. Weberum trig: c. Goclen. p. 2. s. 2. & 3. D. J. Mart. d. com. pro: c. 14. *aliosq́. De oppositis rationibus in discursu. Sumitur* vox vitæ *interdum pro motu & operatione vitæ, quæ in corpore, interdum pro actu primo vivendi, qui in animâ & ab animâ, ut hic sumitur: Sed inde colligitur* vocis distinctio, non vitæ in uno vivente duplicatio. *Vt compositi unum est esse, ita & unum vivere, quod viventibus est esse,* t. 3. *Vita essentialis animæ est etiam vita corporis per unionem & communicationem: Vita accidentalis, i. e. operatio vitalis non vita propriè, sed motus & effectus ab vivente profectus est, qui in corpore est, & intereunte composito interit: sed vita essentialis una manet, & in anima post mortem hominis velut subjecto primo radicatur: in bruto unà cum formâ post interitum esse desinit, & in potentiam materiæ resolvitur, ut de formis materialibus sentiri solet.*

22. *Ex* gradibus *analogicis vita* vel *est absoluta,* vel *continuata. Absoluta, quæ tantùm vivendi actu absolvitur, præcisâ morâ & duratione. De ea* th. 7. *dictum.* Continuata, *quæ morâ & duratione simùl extenditur. Ita per ætates distribuitur, pueritiam, virilitatem & senectutem. De quibus* V. Cæl. Rhodig: l. 10. A. L. c. 61. 62. *Estq́; longa* vel *brevis.* Longa, *cujus duratio prolixè extenditur. Vt patrum ante diluvium, qui 600, 700, 800. annos & ultrà vixêrunt.* Gen: 5. v. 5. seq: *Causas vivacitatis illorum persequuntur* Perer: in c. 5. Gen: n. 107. l. 7. Josephus lib. 1. ant. c. 8. Corn. à Lap. in Gen: 5. Keckerman. d. 12. curs. Phil. q. 1. *aliiq́; Græci annos eorum menstruos fuisse putant, ap.* Augustin: l. 15. d. civ. Dei c. 13. *Sed id incongruum & tempori*

dilu-

diluvij inconveniens esse alibi ostendetur. Cervi *vitam longam degere putantur. Alexander M. torques aureos illis innecti jussit, & post 100. annos capti nondum senium præ se tulerunt.* Plin. l. 8. c. 32. *De cervo fabula narratur, quòd à Julio Cæsare sit dimissus, & tempore Maximiliani I. captus.* V. Keck: c. l. *Animalia vivacia recensct* Ausonius in Grypho, edyll. 11. Ter nova Nestoreos implevit purpura fusos, Et toties trino cornix vivacior ævo. Quam novies terni glomerantem secula tractus vincunt æripedes ter terno Nestore cervi. Tres quorum ætates superat Phœbejus oscen. (*i. e. corvus.*) Quem novies senior Gangeticus anteit ales, (*i. e. phœnix.*) Ales cinnameo radiatus tempora nido. *Quidam homines longæ vitæ fuerunt. Johannes Caroli M. armiger 360. annis vixit. Unde Johannes de temporibus dictus. Segoviæ in Hispaniâ mulier vixit 160. annis. Archiepiscopus quidā Æthiopiæ 150. annorum fuit. Quidam Laurentius Orcadensis annos 140. natus sævissimâ hyeme in cymbâ piscari solitus est. In agro Herefordiensi octo virorū ætas 800. annos complevit, & quod alteris ad 100. defuit, alteris superfuit. Desmondia Comitissa ter per vices dentiisse narratur, & ad 140. annos vixisse, Ex* Verulamio *narrat* Jonstonus de nat. const. pro. 5. a. 1. *Epimenides Cretensis 150. annos vixit. Gorgias Siculus 108. Hippocrates 140. Clodia 115. Luceja 100. integris annis mimam in scenâ egit. Galeria mima annum 104. agens in scenam reducta est à Pompejo pro miraculo. Hæc & similia lege apud* Plinium l. 7. c. 48. *aliosq́;* & c. 49. *plura recenset. Cyrni, Indorum gens, annis 140. 130. Pandoræ in convallibus siti annis 200. vivunt.* Idem c. 2. c. l. *Arsenius Monachus 120. annorum fuit, & nullo unquam morbo tentatus est.* Drexel. prodr: æt. c. 3. §. 14. *Apud Neandrum pa.* 1. Phys: p. 249. *historia narratur de sene capulari plo.*

re plorante, qui à patre cæsus est, quòd avum è manibus delabi sinuisset, qui seneciones succo baccorum sambuci vitam prorogârint. Simeon *episcopus Hierosolymitanus sub Traiano martyrio affectus 120. annorum fuit.* Nicephor: l 3. hist. Eccl. c. 16. *Pyastus Poloniæ Rex 120. annos vixit.* Camerar: C. 2. c. 54. *Widevutus Prussiæ Rex annos 112. vixit.* Schützius Chro: pruc. l. 1. p. 5. *Alij 116. annos ponunt.* Waissel. in Ch. Prus. p. 2. *Democritus 109. annos vixit.* Perer: l. 4. Philos. c. 4. *in Zeilan insulâ homines ad 150. annos vivunt.* Cardanus l. 21. subtil. p. 1006. *Nævius Nestorem trisecli senem appellat* ap: Gellium l. 19. c. 7. *Quod 300. annos explicant poëtæ Latini. Vnde* Juvenalis sat. 10. v. 246. *Rex Pylius, magno si quidquam credis Homero, Exemplum vitæ fuit à cornice secundæ. Felix nimirum, qui tot per secula mortem Distulit, ect. Cornix enim 900. annis vivere dicitur. Alij tamen seculum 30. annis definiunt, ut 90. annorum fuerit Nestor.* V. Muret. l. 10. V. L. c. 8.

23. *Quidam 4. ætates* Gen. 15. v. 16. *quatuor secula interpretantur, quasi ætas viri tùm 100. annorum fuerit, ex* v. 13. Exod. 12. v. 40. & Syrac. 18. v. 8. *Alij 70. annis ætatem etiam tùm temporis definiunt ex* Psal. 90. v. 10. *& in Aegypto annos 210. Iudæi morati sunt qui 3. ætates conficiunt. Postea quartâ ætate 40. annos in deserto consumpserunt, post quos demum in terram Canaan introierunt.* Exod. 12. *intelligitur totum tempus peregrinationis Israëlitarum à nato Isaac, non illud tantùm, quod in Aegyptum cum Iacobo descendentes exegerunt. Afer hominis ætatem 120. annorum esse dicit, & se in Britanniâ senem vidisse refert, qui pugnæ interfuit, quâ Cæsarem pellere conati sunt Britanni, qui ad sua tempora vixerit.* ap. Quintilian. Dial. d. Orato: c. 8. *Eandem metam homini tribuit in Britanniâ* Cardanus l. 12. subt. p. 657. *Asclepia-*

pia-

piades senium in Britanniâ anno 120. inchoari dixit, ap: Plutarch: l. 5. d. plac. Phil. c. 30. *Quidam & eam* Gen: 6. v. 3. *statui putant: sed alienè, cum anni pænitentiæ ibi intelligantur. Dioscorides annis 100. vitam circumscripsit cum Aegyptijs ex cordis incremento, ap:* Cæl. Rhodig. c. l. c.61. Plin. l. 11. c. 37. *Cajus ICtus finem vitæ longævi hominis 100. annos ponit.* l. 56. t. 1. l. 7. digest: *In Indiâ diutissimè homines vivere scribit* Cardanus c. l. *Quendam ad Turcicum ducem ductum incolarum testimonio supra 300. annos habuisse narrat. Quòd ex historijs Indicis confirmat* Camerar. C.2.c.68. *Seneca annum ætatis 114. egressus est, cùm à Nerone mori juberetur.* Heidfeld: c.38. sphyn. *Ausonij pater de se scribit* ap. Auson. edyll. 2. Nonaginta annos baculo sine corpore toto Exegi cunctis integer officiis. *Apud Æthiopes quidam 180. annos nati etiam operas ditioribus locant. Quidam in Germaniâ 140. alius 120. annos vixit. In oppido Poloniæ Strensco Palatinus quidam 140. annos, In Alsatiâ rusticus aliquis supra 100. habuit.* Serarius in cap. 14. Jos. q. 3. *Plura* Camerar. c. l. Cicero de senect. §. 30. 60. 69. Valerius Max. l. 8. c. 7. Apolephtes p.3. erquick. p.877. *seq. & alij habent. Elephantes ad 200. vel 300. annos vivere narrat* Aristot: l. 8. hist. an. c. 9. l. 9. c. 46. Ambrosius l. 6. hexaem. c. 5. *Elephas Pori Regis Indorum ultra 380. annos vixit, quod ex inscriptione Alexandri M. denti ejus insculptâ patuit. Alius elephas post 400. annos vivus adhuc inventus fuit.* Philostratus l. 2. c. 6. Perer. l. 4. in Dan. p.232. *Phœnix, Arabiæ avis vivacissima, ad 660. annos vivere dicitur.* Plin. l. 10. c. 2. *Quanquam alij totum hoc de phœnice, ejus existentiâ & factis pro fabulâ habent.* V. Perer. l. n. in Gen. n.95 96. Quodnam inter animalia vivacissimum, *quæritur? Speciem cum specie absolutè conferendo, non individuum cum individuo, aut speciem*

in

in certo statu, homo vivacissimus dicendus, nullum enim brutum tot annos attigit, quot antediluvianorum aliqui. Gen: 5. *Individuorum incerta varietas est. Et speciem humanam, ut post lapsum hodiè communiter est, spectando, fatendum est à brutis vivacitate superari.* Vita brevis *est, cujus duratio exiguum extenditur. Ejus exemplum est filius Davidis 7. die denatus.* 1. Sam: 12. vers. 18. *& hemorobion volucre in Ponto, quod ultra unum diem non vivit.* Plin: l. 11. c. 36. Aristotel: 5. hi. an: c. 19. *Quidam apud Indos annos 40. non excedunt. Mandrorum fœminæ 7. ætatis anno pariunt, 40. anno senectus accedit. In Calingis quinquennes fœminas parere, octavum annum non excedere fertur.* Plinius l. 7. c. 2. *Apud Aethiopes anno 30. senium inchoare Asclepiades dixit* ap. Plutarch: 5. d. pl. Ph: c. 30. *Ex* gradibus *vita etiam* vel *manifesta, ut in sanis & vegetis,* vel *obscura dici potest. Vt in apoplecticis, deliquium animi patientibus, utero præfocatis, ecstaticis, abreptitiis, in quibus cum vita sit, per opera non apparet esse, sed videntur mortui. Aviola consularis pro mortuo elatus est, & in rogo revixit. Similia de Lamiâ, Aelio Tuberone, Hermotimo Clazomenio, fœminâ Græcâ 7. dieb. velut mortuâ, Corfidio aliisq; narrat* Plinius l. 7. c. 52. *Ioh:* Scotus *in ecstasi jacuit, & pro mortuo elatus est. Iulius II. Papa biduum pro mortuo jacuit.* Bodin: l. 2. dæmon. c. 5. *Cardanus se quoties lubet, ecstaticum fieri scribit, ut corpus velut insensatum decumbat,* lib. 8. de rer: var: cap. 43.

24. *Cæterùm de vitæ termino tria hic quæri possint?* 1. Cur *nullus antediluvianorum* 1000. *annos vitæ attigerit?* 2. An *fatalis sit vitæ terminus, an prolongari, vel decurtari queat?* 3. An *in perpetuum prorogari possit?* Quà primum, *Ideò id factum, ut vitam mortalem ad Dei durationem collatam vix diem esse sciamus, etiamsi* 1000. *annorum fuerit.* Psal. 90. & 2. Pet: 3. *Vnde dicitur:* Secundum Dei calendarium nullus homo vel unum diem vixit. *Et millenarius est numerus perfectionis ac Dei, ne hic aliquid perfecti nobis imaginemur.* Quà secundum: *Fatalis quidem est terminus vitæ, i.e. certus, destinatus, Deo cognit9. juxta* Iob: 14. v. 5. Ps. 139. v. 16. *non tamen absolutus & stoicè fatalis, ut omne medium respuat, nec ullâ conditione mutetur. Nam pietas promissionem vitæ longæ habet* Exod: 20. v. 20. c. 23. v. 26. *impietas cominationem brevis.* Deut: 30. v. 18. Prov: 10. v. 27. Eccl: 7. v. 18. *Exemplum Hiskiæ precantis auxit años.* 2. Reg. 20. v. 3. 6.

Abasiæ impii imminuit eos. 2.Reg:1.v.3.6. *Mors inevitabilis est: temp9 & hora mortis mediorū conditione temperantur, & ita Deo prævidētur & constituuntur. Est termin9 vitæ definitus, sed cum inclusione causarū & mediorum. Sec9 & inter fatale & necessarium distingui potest.* V. Scalig: ex.307.s.25. Quâ tertium: *Ante lapsum perpetuari potuit vita per immortalitatē concreatam, singularem Dei conservationē, & usurpatum arboris vitæ esum: Post lapsū ubi dotes concreatæ amissæ, & successit miseria,* naturali consequentiâ *mors succedit: nā humidum quotidiè absumitur, nec qualitate aut quantitate par absumpto restituitur, semper n: aliquid calori & humori radicali inconveniēs admistum est nutrimēto. Et ita jam statutum est homini semel mori.* Hebr: 9. v.27. *Ita vita naturalis perpetuari non potest.*

25. *Ita* divisio *vitæ fuit. Sequuntur* affectiones. *Eæ & absolutæ & respectivæ esse possunt.* Absolutæ, *quæ vitæ in se spectatæ cōpetunt. Ut brevitas vel lōgævitas, de quâ* th:22. *Aetates, de quib9* c.1. *suavitas & miseria, de quib9* Iob:14.v.1.2. Ps.103.v.15.16. Eccl:8.v.15.c.11.v.8. *Nutritionis necessitas. quâ nutrimento ad vitā servandā continuo op9 est, nec ordinariè sine ullo nutrimēto, externo vel interno, occulto vel manifesto, valido vel remisso, illa diu constare potest. Exēpla in contrarium per accidens & extraordinaria sunt, de quib9 alibi. Appetibilitas, quâ vita cuivis viventi appetitur, corruptio fugitur,* V. d.8. t.19. *Finis, quâ cujusvis naturalis viventis vita finē tandem assequitur, nec æternùm continuari potest.* V. t.24. Respectivæ *sunt, quæ vitæ cum alio collatæ competunt. Ut cognatio & oppositio.* Cognata *vitæ sunt omnes act9, essentiæ & formæ rerum, durationes, existētiæ, & operationes existentium.* Opposita *ej9* vel *primaria sunt, ut mors, de quâ* d:10. *agetur,* vel *secūdaria, ut morbi letbales, lāguores, apoplexiæ, deliquia, ecstases, in quib9 cum adsit vita, nō apparet adesse.* V.t.23. *& quæ, nî succurratur, vitā tandē extinguunt, & vivens interimunt. De* vitalitate *ut pauca addantur,* vel *sumitur pro ipsâ vitâ, ut* th.3. *dictum, sic per dicta hacten9 est tractata:* Vel *pro vi ad vitā obtinendam, sic est* facultas corporis animati vitaliter operādi, vel vitales operationes exercendi. *Quales sunt, nutritio, retētio, auctio, expulsio, concoctio, generatio, immutatio, conformatio. Et ex dictis de vitâ facilè patet, quas causas, divisiones, affectiones & opposita habere queat, ut speciatim deudci eam opus non videatur. Et tantum de vitâ & vitalitate dictum esse sufficiat.*